



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm III. Licet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

ed vsque obseruatum fuerit: quia status Ecclesie non facile mutari debet.

## CAPITVLVM III.

Licet.

**H**onorius ex vna parte, & Remigius per procuratorem suum ex altera parte, diu apud Sedem Apostolicam litigauerant de Archidiaconatu Richemundie: Quare vt ea res expediatur, mandat Innocent. III. si constet, quod Archidiaconatus ille annum integrum vacauerit, semestri quidem, cum collatio ad Capitulum pertinebat; altero autem semestri, cum collatio per deuolutionem ad Archiepiscopum Eboracensem spectabat, (numerato tempore non à die vacationis, sed habitæ notitiæ vacationis) vt vtrique litigantium silentium imponatur. Cum enim dictus Archiepiscopus Superiorem non habeat præter Pontificem, ad eum secundum canones Archidiaconatus illius collatio deuoluta fuit.

**NOTANDVM I.** Si Capitulum, ad quod collatio beneficij, aut dignitatis pertinet, intra sex menses conferre negligat, ius conferendi pro ea vice deuoluitur ad Archiepiscopum, si ei Capitulum immediatè subiectum sit. Quod si & ipse per alterum semestrem conferre negligat, deuolutio fit ad Papam. De hac re dictum est in c. Ne pro defectu, 41. de elect.

**NOTANDVM II.** Si pœna ob negligentiam decreta sit sententiæ latæ ipso iure, ordinariè non conceditur licentia moram purgandi. Ita Gl. hinc ver. imponatis, Anton. n. 5. Quia, vt Gl. ait in c. licet canon, 14. ver. executione, de elect. in 6. canon, qui est lata sententia, habet in se executionem. Id verò intelligi debet hoc modo, quod Iudex perinde pœnam exequi debeat, ac si ab initio contracta sit, rescindendo omnia, quæ secùs attentata sunt. Quomodo Pontifex in hoc c. rescidit, seu potius irritam declarauit collationem Archidiaconatus, si facta sit post tempus semestris.

\* \* \*

## CAPITVLVM IV.

Literas.

**Q**uidam Prælati & Capitula, beneficia & dignitates tanto tempore conferre distulerunt, vt secundum Lateran. Concilium sub Alex. III. iure conferendi pro ea vice priuati essent: Postea verò quàm intellexissent aduentum Legati Apostolici, beneficia illa ac dignitates conferre aggressi sunt. In hoc casu respondet Innoc. III. collationes, secundum canones irritas quidem censi posse, & malè institutos remoueri, tamen ex misericordia, si alioquin idoneæ personæ sint, à Legato in possessione pacifica tolerandos esse: Sin autem non idonei, ijs remotis, alias personas idoneas, auctoritate Apostolica, ad quam propter negligentiam inferiorum collatorum, deuolutio facta est, à Legato instituendas esse.

**NOTANDVM I.** Si priuati iure conferendi, aut eligendi pro vna vice nihilominus aliquem eligant, aut instituunt, licet electio, collatio, aut institutio irrita declarari possit, interim tamen, dum nemo se opponit, electus, aut institutus tutus est in conscientia. Ita docui in c. innotuit, 20. de elect. & sumitur ex hoc c. Quia nisi collatio beneficiorum, facta post incursum priuationem, aliquo modo valida fuisset, instituti beneficia retinere non potuissent, absque tituli reuvalidatione.

**NOTANDVM II.** Si priuati propter eligendi aut conferendi negligentiam, elapso trimestri aut semestri tempore, nemine se opponente, nihilominus eligant aut beneficia conferant, tolerari id potest: quia multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta essent in iudicium, exigente iustitia non tollerarentur, c. iam dudum, 18. de præbend. Dummodò absque Ecclesie, seu boni publici detrimento tolerari possit: alioquin enim Superior ex officio, etiam nemine petente, procedere potest.

**NOTANDVM III.** Si aliquis in pacifica beneficij possessione sit, non tam facile ipsi

Q99

aufere